

pelliceum. n. 4595 ad 5. die 12 (10.) Apr. 1823.

*Nota Gardell. ad hoc decret.*

Cum planum est per extrinseca honoris insignia portionariorum qualitatē non fuisse immutatam neque eosdem ab iis solutos oneribus, quibus tenebantur, priusquam iisdem insignis decorarentur; jam patet adhuc Acolythorum ipsos debere fungi officiis, caeteraque tam in Missa quam in aliis choralibus functionibus praestare munia, quae Beneficiatis, Mansionariis, Portionariis, aut alio quocumque nomine nuncupatis, secundi subselli Clericis incumbunt. Praeter Caeremonialis dispositionem ad rem facit S. C. Responsum in quaestione acta inter Canonicos Metropolitanae Neapolis et hebdomadarios; nam inter alia dubia primum erat: *an asserti beneficiati sive hebdomadarii nuncupati Ecclesiae Metropolitanae Neapolis in functionibus ecclesiasticis teneantur omnia et singula, quae praescribuntur Beneficiatis Ecclesiarum Cathedralium a Caeremoniali Episcoporum aliisque Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis?* S. Congr. respondit: *Affirmative.* Neque ommittendum hic est, quod praefati hebdomadarii indultu gaudent gestandi Rocchettum cum manicis ad instar Canonicorum, ut colligitur ex S. C. decreto in *Neapolitana delationis Cottae* die 21. Martii 1705. Numquid autem portionarii Melphitenses novis decorati Insignis praestant hebdomadarios Metropolitanae Neapolis? Utique adimplere debent Acolythorum officia et dum his incumbunt, superpelliceum dumtaxat assumere et deponere Rocchettum, Cappam vel Mozzettam, veluti S. C. sancivit. Responsiones autem, quae hisce dubiis datae sunt, haberi perinde debent ac si essent generalia decreta in similibus casibus, qui forte in aliis Regni Neapolitani Clericis citra Pharum oc-

currere possunt, et omnino servandae, utpote quae conformia sunt juris dispositioni.

Quintus minister Acolythus thuribulum et naviculam incensi ministraturus debet aliquanto caeteris robustior eligi, quo pondus illorum sustentare possit; eaque debet elevatis aequaliter manibus tenere; videlicet thuribulum dextera, pollice in anulum majorem immisso, altero vero ejusdem manus digito minorem anulum catenulae elevanti coopertorium thuribuli oppositum reget et sustinebit; sinistra manu pedem naviculae cum incenso et cochleari caute gestabit, cottam super brachia prius reflectens, ne forte contingat illam cum thuribulo aut navicula implicari aut comburi. Quo autem loco et ordine incedere, stare vel genuflectere cum aliis ministris ad Evangelium euntibus et redeuntibus debeat et de aliis, quae ad suum officium spectant, suo tempore a Caeremoniariis docendus erit.

*Caer. Ep. l. I. c. XI. n. 7.*

#### 7) Sedes.

Vd.: *Sedes Celebr. et Ministr.; Sedes Ministr.*

### THURIFICATIO.

Vd.: *Incensatio.*

#### 1) Altarium in Vesperis.

Vd.: *Altare.*

*Quando ad Vesperas* praeter Altare majus aliud altare seu alia altaria incensanda sunt, tunc facta incensatione altaris majoris vel illius, ubi s. Sacramentum asservatur (quod prius est incensandum, quam altare, ad quod vesperae sunt, ut docent gavant. tom. 3. sect. 10. cap. 3. n. 18. et Merati ibid. n. 15. et alii) incensantur alia altaria et peracta incensatione altarium omnium, quae incensanda sunt, re-

vertuntur omnes parati ad Chorum et fit ibi de more incensatio secundum modum et ordinem praedictum; pergendo autem de choro ad altaria et redeundo de altaribus ad chorum, celebrans cum ministris incedere debet detecto capite ob reverentiam Cantici evangelici: *Magnificat; Caeremon. Ord. Min. part. 3. c. 3. n. 5; Bongiovanni lib. 3. cap. 3.; Bauldry part. 2. cap. 11., Castaldus in Caeremon. Cleric. Regularium lib. 2. cap. 20., Flumara in eod. Caeremon. part. 1. cap. 4 et alii plures.*

#### 2) Archidiaconi baculum tenentis.

Vd.: *Thurif. Assistent. Ep.*

Archidiaconus, qui sustinet baculum Episcopi, dum celebrat solemniter, thurificandus immediate post diaconos assistentes: *Sac. Congr. in Bracharen. 19. Junii 1608. apud Barbos. tract. de Canonicis cap. 5. n. 52. et cap. 33. n. 22.*

#### 3) Ab Assistente facienda.

Vd.: *Incensatio imperatoris.*

Assistens Presbyter, sive Dignitas sit sive Canonicus, thurificare debet Episcopum et non diaconus Evangelii: *Sac. Rit. Congreg. in Placentina 12. Maii 1607 apud Barbos. de Canonicis cap. 23. n. 17.*

#### 4) Assistentium Episcopo.

Vd.: *Episcop. (incens.); Episcopus assist. missae sol.; Thurif. Archidiaconi.*

Assistentes Episcopo, licet sint minus digni, ratione assistentiae ante dignitates thurificantur et recipiunt pacem: *Sacra Congreg. Rit. in Bracharen. 19. Junii 1608 apud Barbos. tract. de canonicis cap. 33. n. 15. et 16.*

#### 5) Beneficiatorum.

*Urbis. S. Laurentii in Damasco.*

Propositis iis, quae in praeinserto memoriali continentur in *Sacra Ri-*

tuum Congregatione hac infrascripta die, eadem Sacra Rituum Congregatio antiquam et laudabilem ecclesiae consuetudinem servandam esse respondit, ut scilicet beneficiati insignis ecclesiae collegiatae sancti Laurentii in Damasco de urbe in vespere et missis, quae solemniter celebrantur in dicta ecclesia pro festo conceptionis beatae Mariae Virginis, thurificentur immediate post canonicos et ante custodes seu guardianos societatis Sanctissimae Conceptionis. Et ita declaravit et in ecclesia sancti Laurentii in Damasco in dicta solemnitate servari mandavit. Die 18. Februarii 1617.

(Anal. J. P. 1863 p. 147.)

Vg.: *Thurif. Cleri.*

#### 6) Canonicor. et Dignitat. Cathedr.

Vd.: *Incensat. Cleri (ordo); Canonici.*

#### (Ordo et ductus.)

Thurificatio debetur Canonicis paratis ante vicarium generalem: *Sacra Congregat. Rit. in Egitanien. 3. Augusti 1602 et in Tiburtina 6. Martii 1610 apud Barbos. in Sum. ap. decis. verb.: Thurif. n. 10. et tract. de Canonicis c. 18. n. 29.*

Thurificatio debetur prius Canonicis Cathedralis et Collegiatae, quam gubernatori et officialibus: *Sacra Congregat. Rit. in Complén. 28. Januar 1612. apud Sellium in selectis canonicis cap. 16. n. 23. et Barbosam loco cit. n. 11.*

Unde thurificatio duplici solum ductu debetur dignitatibus Cathedralium, nisi firmiter probetur immemorabilis, quod triplici ductu thurificentur, absente Episcopo: *Sac. Congr. Rit. in Casertana 16. Septembr. 1622. apud Barbos. loc. c. n. 8. tract. de Canonicis c. 34. n. 31.*

Dignitatibus in choro non debetur

thurificatio triplici sed duplici tantum ductu, non obstante quod, ibi omissis distributionibus, persona, quae habet dignitatem, incederet cum Rochetto et habitu protonotarii, ut respondit Sac. Cong. Rit. contra praepositum ecclesiae Insulanae 21. Martii 1699 apud Monacell. tom. 4. supplement. ad 2. tom. num. 18.

Thurificatio in Ecclesia Collegiata exempta, praesente Episcopo cum Canonico Ecclesiae Cathedralis et Abbate cum Canonicis dictae Ecclesiae Collegiatae, debetur primum Episcopo triplici ductu Thuribuli et post Episcopum immediate Canonico Cathedralis Ecclesiae duplici ductu, deinde Abbati etiam duplici ductu: Sacra Congregat. Rit. in Alexandrina S. Petri in Bergolio 7. Febr. 1604 apud Barbosam in Sum. apost. decis. verbo: Thurif. n. 12. et tract. de canonicis cap. 34. n. 32. Et iterum in decretis generalibus 22. September 1659 §. 15 ibi: „Episcopus primum trino ductu et immediate Canonici Cathedralis duplici, moxque Abbas (nisi celebret) pariter duplici, ac subinde Canonici vel Monachi Abbatialis Ecclesiae unico tantum ductu thurificentur.“

#### Avenionen.

Praepositus ecclesiae Avenionensis, qui primam post pontificalem in eadem ecclesia dignitatem obtinet, petit manuteneri in sua antiqua et immemorabili possessione circa honorem thurificationis, qui dignitatibus et canonicis exhiberi solet in solemnibus vesperis et missis, nempe ut ipse praepositus absente archiepiscopo triplici ductu thuribuli thurificetur, caeteri vero dignitates et canonici duplici ductu thuribuli et cum negotium hoc a Sacra Rituum Congregatione commissum fuerit Illmo et Rmo d. Cardinali Gonzaga, audita ejus relatione eadem Sacra

Rituum Congregatio censuit dictum praepositum manutenendum esse in sua possessione, ut scilicet in absentia archiepiscopi triplici ductu thuribuli thurificetur, prout hactenus ab immemorabili tempore servatum est. Et ita censuit et declaravit ac in civitate Avenionen. servari mandavit. Die 29. Novembris 1610.

(Anal. J. P. 1863 p. 112. n. 371.)

*Ad dub.:* An praeposito non officianti debeatur trina thurificatio ad contradistinctionem Canonicorum non officiantium, qui duplici ductu thurificentur?

S. C. resp.: *Non deberi trinam thurificationem.*

Die 27. Mart. 1699.

(Anal. J. P. 1865. p. 1830 n. 2677 ad 4.

#### 7) Canon. Colleg.

Vd.: *Thurif. Canon. Cath.; Canonici; Incensatio.*

#### (Ordo et Ductus.)

Canonicis Collegiatae thurificatio debetur ante rectores et beneficiatos aliarum Ecclesiarum parochialium etiam quando in eorum propriis Ecclesiis simul divinis intersunt, nec est hujusmodi caeremonia aliquo praetextu omittenda, si ex consuetudine fieri solet: Sacra Congregat. Rituum in Calaguritana 1. Junii 1601 apud Barbosam in summ. ap. decis. verb.: Thurific. n. 23. Thurificatio debetur duplici ductu Thuribuli Canonicis collegiatae; caeteris vero parochialium Ecclesiarum unico ductu: Sacra Congreg. Rit. in Caesaraugustana de Daroca 19. Januarii 1613 apud Barbosam loco citato n. 14. et tract. de Canonicis capit. 18. n. 66. neque primae dignitati Ecclesiae Collegiatae Sanctae Mariae in Cosmedin Urbis: Congregatio deputata trium Cardinalium die 4. Septemb. 1705

in respons. ad dub. 31. apud eundem Monacell. t. 4. suplem. ad 2. t. n. 20.

Prior Collegiatae, si in Cathedrali praesens fuerit, simul cum illius Dignitatibus et Canonicis duplici ductu thurificandus est, quamvis nullam habeat praecedentiam supra Canonicos Cathedralis: S. Congr. Rit. in Tuscanensi 19. Augusti 1619 apud Barbosam tract. de Canonicis c. 11. num. 3. et 9.

#### 8) Canonici Episcopi.

Canonicus locum tenens Episcopi debet in choro sedere in loco suae receptionis in habitu canonicali, nec ei competit pacis et thuris honor ante Dignitates et non lucratur distributiones, nisi sedeat in suo stallo cum habitu canonicali: S. Congr. Rit. in Hydruntinae 10. Novembris 1612 apud Barbosam tractat. de Canonicis c. 33. num. 40.

Vd.: *Episcop. titul.; Titul. Episcop.*

#### 9) Celebrantis.

a) Quot ductus praesente et absente Episcopo?

Vd.: *Thus* (impositio ab Episcopo etc.); *Incens. Celebr.*; *Thurif.* (ductus, ordo.)

In absentia Episcopi thurificatio fieri debet Celebranti triplici ductu juxta regulas Caeremonialis. S. Congr. Rit. in Patavina Plebis Sacci 9. Maii 1606 et in Comen. Valutiae 30. Januarii 1616 apud Barbosam in summ. apost. decis. verb.: Thurif. num. 6.

#### b) Cor. SS. expos.

Vd.: *Incensatio Celebr.*

Celebrans in primo gradu suppedanei stans thurificatur in missa sol. cor. SSmo. *Synod. Dioec. Benev.* part. 1. tit. 29. sect. 4. §. 2. num. 11.

#### 10) Cleri inferioris.

(Ordo et Ductus.)

Vd.: *Thurificatio* (ductus; Beneficiat.); *Incensatio.*

Thurificatio debetur duplici ductu Portionariis et aliis Beneficiatis, sicut et Canonicis, quando tales Portionarii et Beneficiati in reliquis omnibus et per omnia aequiparentur Canonicis et aequaliter incedunt in processionibus et sedent in aequalibus scamnis, non obstante Caeremonialis libro, qui intelligitur, quando non adsunt Presbyteri, qui sunt omnino aequales Canonicis: Sacra Congregatio Rituum in dicta Caesaraugustana de Daroca 21. Martii 1615 apud Barbosam in summ. ap. decis. verb.: Thurificatio n. 14. et tract. de Canonicis cap. 34. n. 34.

Dignitatibus autem et Canonicis Cathedralium in suis ecclesiis duplici, caeteris vero de choro unico ductu thurificatio debetur: Ead. S. Congr. Rit. in d. Patavina et Comensi apud Barbosam loc. cit. n. 7. Consuetudo, ut Mansionarii ab una parte thurificentur immediate post Canonicos ejusdem partis, antequam thurificentur Dignitates et Canonici, qui sedent sub alia parte chori, non est servanda: S. Congr. Rit. in Placentina 19. Maii 1607 in respons. ad dub. 3. apud Barbosam l. c. n. 4.

#### 11) A Diacono facienda?

Vd.: *l. I. p. 658 h;* *Thurificatio* (ordo).

Thurificationis munus est Diaconi, qui, etiamsi sit ex Dignitatibus vel Canonicis, post incensatum Episcopum, debet alios Praelatos, si adsint, Magistratum saecularem, Dignitates et Canonicos incensare; Mansionarios vero et alios Capellanos alius Capellanus seu Magister Caeremoniarum pro Ecclesiae consuetudine incensare debet: Sacra Congregatio in Lucen. 10. Julii 1600 apud Aldanum in comp. canon.

resolut. l. 1. t. 9. n. 36., Barbos. in summ. apost. decis. verb.: Thurif. n. 3.

Diaconus Evangelii debet thurificare chorum nec ab eo munere excusatur sub praetextu contrariae consuetudinis: S. Congr. Rit. in Alexandrina 15. Martii 1608 in respons. ad dub. 10. apud Aldan. loc. cit. tit. 9. n. 35. et Barbos. l. c. verb.: *Diaconus n. 4.* Diaconus debet incensare Canonicos et alios, non tamen Mansionarios: S. Congr. Rit. in Lucerina 29. Apr. 1530 apud Aldan. loc. cit. num. 84. et Barbos. loc. cit. num. 3.

#### 12) Ductus.

Vd.: *Incensatio Cleri* (ductus); *Thurificatio Canon. Cath. et Colleg.* (Ordo); *Thurificatio Cleri inferioris.*

Quoad thurificationem triplicis ductus, licet per Regulas Caeremonialis debeat soli Episcopo vel Celebranti, nihilominus, si adest immemorabilis consuetudo, quod alii pariter thurificentur triplici ductu, ea omnino servari debet: S. Congr. Rit. in Casertana 18. Septembris 1632 apud Piton. Const. ad Canonicos num. 957.

#### 13) Episcopi.

##### a) Ductus.

Vd.: *Incens. Episcopi*; *Thurif. Celebr.*; *Thus* (impositio ab Episcopo etc.); *Thurif.* (ductus).

Thurificatio cum triplici ductu Thuribuli unico tantum et digniori, id est Episcopo, convenit: S. Congr. Rit. in Vintimilien. 11. Decembris 1604 et in Civitat. Ducal. 11. Novembris 1614 apud Barbos. in summ. apost. decis. verb.: Thurif. n. 5. et tract. de Canonicis cap. 34. n. 26.

##### b) Modus.

Vd.: *Episcop.* (incens.); *Pileolum.*

Thurificatio non debetur Episcopo

a Canonico vel Dignitate assistente genibus flexis, sed stante: S. Congr. Rit. in Oscensi apud Barbos. in summ. ap. decis. verb. Thurif. n. 4. et tract. de Canonicis cap. 33. n. 29.

#### 14) Finis.

Debet Diaconus incensationem absolvi, *antequam Praefatio incipiat*, quia Celebranti debet assistere vel stare retro post eum; *Caeremon. Ordin. Minor.* part. 2. c. 9. n. 7. et part. 3. cap. 2. n. 10., *Bongiovanni* lib. 3. cap. 11. et alii ac Rubrica missalis 7. n. 11. ubi expresse habetur: „Cum dicitur Praefatio, Diaconus et Subdiaconus stant retro post Celebrantem et paulo ante priusque dicitur: *Sanctus*, accedunt ad altare etc.“ Et in eadem rubrica 7. n. 10. statuitur sic: Cum redditur thuribulum Diacono, dicit: *Accendat in nobis etc.*, et incensatur ab eo; deinde Diaconus incensat chorum. Unde stat clarum, quod incensatio chori facienda est immediate post incensationem altaris et Celebrantis, antequam incipiatur Praefatio, et non tempore, quo canitur ipsa Praefatio; et si tanta sit multitudo Clericorum et Religiosorum, ut incensatio finiri non possit, antequam Praefatio incipiatur, tunc sufficit incensare separatim Praelatum et omnes paratos ac illos, qui sunt in sedibus superioribus: Reliqui autem inferiores brevitate gratia poterunt incensari sine mora, ita ut incensatio finita sit, antequam incipiatur Praefatio, ut salvetur dispositio rubricarum, ut docet *Bongiovanni* l. c. ex *Caeremon. Ord. Minor.* l. c. et alii, et non paulo ante priusquam dicatur *Sanctus*, ut tradunt *Gorsetius* tract. 1. can. 11. n. 11. n. 22., *Merati* loc. cit. n. 71., *Bissus* loc. cit. §. 7., *Baldus* loc. cit. n. 18.

Incensatio (quae omnibus dari debet quia Christus communicat omnibus

odorem suum, s. *Thomas* part. q. 83. art. 5. et quia quae facit Sacerdos, pertinent ad omnes, *Durand.* cap. 31, item quia *Thurificatio repraesentat diffusionem gratiarum spiritualium in capite et ab eo ad membra*, idem l. 4. c. 5., *Gavant.* tom. 1. part. 2. titul. 7. litt. C.); cessare debet ad *Vesperas* antequam Celebrans dicat vers.: *Dominus vobiscum*, ex *Caeremonial. Episcoporum.* lib. 2. cap. 3. et *Caeremonial. Ordin. Minor.* part. 3. cap. 2., *Gavant.* tom. 2. sect. 10. cap. 3. n. 20. Unde qui in choro sunt Cantores vel musici, majori pausa ac graviore modulatione canticum Magnificat praecinere debent et Organista sonum solemnius in longum protrahere, ut ante vers.: *Dominus vobiscum* et Orationem incensatio compleatur: *Merati* tom. 2. sect. 10. cap. 3. n. 26., *Bongiovanni* loc. cit. et alii passim.

In choro thurificari debent omnes singillatim. Quod si tanta sit multitudo clericorum, ut incensatio finiri non possit ante finem Praefationis, tunc sufficit incensare separatim illos, qui sunt in sedibus superioribus et reliqui inferiores poterunt incensari sine mora, ita ut finita sit incensatio paulo antequam dicatur *Sanctus*. *Merati* t. 1. part. 2. tit. 7. num. 70. et 71., *Bissus* lit. 1. §. 7., *Bauldry* part. 2. art. 7. n. 18., *Corset.* tract. 1. cap. 11. n. 21., *Gavant.* t. 1. part. 2. tit. 7. lit. C. cum aliis ibi citatis. Et ad hoc facit decretum S. Rit. Congr. in Placentina ad tertium dubium sub die 10. Maii 1607.

#### 15) Gubernatoris.

Vd.: *Incens. Gubernat.*

Consuetudo, ut Gubernator thurificetur immediate post Episcopum, servanda est: S. Congr. Rit. in Alexandrina 15. Martii 1608 respons. ad

dub. 4. apud Barbos. in summ. ap. decis. verb.: Thurif. n. 6.

Consuetudo incensandi Gubernatores Civitatum Sedis Apostolicae, qui sunt Refendarii et Praelati et utuntur *Rochetto*, ante Canonicos post Episcopum servanda est: S. Congr. Rit. in Caesenaten. 7. Decembris 1501 apud Barbos. l. c. n. 7.

Consuetudo, quod Gubernator Status thurificetur et habeat pacem ante Rectores et Curatos Ecclesiarum, servanda est. S. Congr. Rit. in Gotian. in Sardinia 5. Julii apud Barbos. l. c. n. 8.

Consuetudo laudabilis, quod Gubernator non thurificetur nec osculetur librum Evangelii nec habeat pacem immediate post Episcopum, servanda est: S. Congr. Rit. in Tullen. 2. Augusti 1603 apud Barbosam l. c. n. 9.

Gubernator dignissimus et perpetuus thurificandus immediate post Episcopum et ante Canonicos, etiam paratos: S. Congr. Rit. in Alexandrina ad dub. 4. apud Barbosam l. c. verb.; *Gubernator* num. 11.

Gubernator Civitatis thurificandus est duplici, non triplici ductu Thuribuli: S. Rit. Congr. in Civitatis Ducalis 11. Novembris 1614 apud Barbos. loco citato num. 15.

#### 16) Imperatoris, Regis et Reginae.

Vd.: *Incensatio mulieris*; *Thurif. mulieris.*

Imperator et reges ante Episcopum triplici ductu thurificantur. *Caeremon. Episcop.* lib. 1. c. 23.; *Bongiovanni* lib. 9. c. 2. et alii passim. Princeps magnus non recognoscens Superiorem, Proreges et Gubernatores regnorum et provinciarum thurificantur a primo assistente immediate post Episcopum triplici ductu: *Caeremon. Episcop.* loc. cit., *Merati* l. c. n. 73., *Flumara* part. 2. cap. 3. et alii.

## 17) Laicorum.

## Cefalonien.

Canonici Ecclesiae Cathedralis Cefalonien. petierunt declarari: *An stante usu quindecim annorum, quod magistratus civitatis thurificetur eodem tempore, quo thurificentur Vicarius et Canonici, cum dictus usus repugnet libro caeremoniali, servandus sit necne?* Congregatio Sacrorum Rituum respondit: servandam esse formam libri caeremonialis lib. primo c. 23. circa finem, ut scilicet magistratus civitatis thurificetur post Canonicos. Et ita declaravit. Die 24. Octobris 1609.

(Anal. J. P. 1863 p. 100. n. 336.)

Vd.: *Incensatio laicor.*

## 18) Magistratus.

## (Quis thurificat?)

## Alatrina.

S. Rituum Congregatio, audita relatione Episcopi ordinarii Alatrini, censuit, servandam esse solitum in thurificando iudicem et magistratum civitatis de Fumone dioecesis Alatrinae in solemnitatibus et publicis functionibus ecclesiasticis, et ita declaravit, instante communitate dicti loci praetendente praedictos thurificandos esse per Diaconum juxta dispositionem Caeremonialis et non per sacristam. Die 22. Junii 1680.

(Anal. J. P. 1865 p. 1228. n. 2138.)

## 19) Ministrorum in Missa pont. Episcopi.

Vd.: *Thurif. Assistent. Ep.; Thurif. Archidiacon.*

## 20) Modus.

Qui thurificat, semper stare debet; solus Summus Pontifex a genuflexo incensatur: *Caeremon. Episcoporum* lib. 1. cap. 23., *Bongiovanni* lib. 9. c. 2. et alii passim.

Vd.: *Thurificat.* (SS. Papa celebr. vel assist.)

Imposito et benedicto thure Episcopus vel Celebrans capit de manu Diaconi in missa vel de manu Presbyteri assist. in vesperis thuribulum videlicet sinistra catenulas, quibus thuribulum sustinetur, in earum summitate, dextero easdem catenulas simul junctas prope thuribulum tenet ac thuribulum sustinet, ita ut illud commode ducere versus crucem... et ad se retrahere possit; quod recte fit, si Episcopus aut Celebrans accepto thuribulo teneat dexteram, quo fieri potest, proximior ipsi thuribulo, ita ut parvum catenularum spatium remaneat inter ipsius manum dexteram et thuribulum, nam si nimis thuribulum pendeat, nec commode nec secure nec decore illam actionem expedire posset...

Dum autem Episcopus vel Celebrans thurificationem altaris facit, advertat, ut se in ea graviter et decore gerat, non personam aut caput, dum thuribulum ducit reducitque, movens, sinistram, quae summitatem catenularum retinet, firmam stabilemque ante pectus tenebit, dexteram vero manum ac brachium commode ac tractim cum thuribulo movebit, ita ut, cum thuribulum ad se retrahit, illud sub brachio leviter et competenti mora reducat et dum procedit thurificando altare eundo et redeundo semper illum pedem prius moveat, qui proximior est altari, totique omnino passus faciat, quot thuribuli tractus, ut manus pedesque in motu decenter concordent. *Caer. Ep.* l. I. c. XXIII. n. 4. 8.

Cf.: *Thuribul.* (quomodo porrig. etc.); *Thurificatio* (Papa assistente etc.)

## 21) Modus sese agendi Cleri inferioris infra thurificationem Canonicorum.

## Asculana.

Recusantibus praeter solitum curatis

civitatis Asculanae, quando assistunt in choro cum Canonicis, assurgere, eisdem Canonicis antiphonas praeintonantibus et thurificationem recipientibus, Sacra Congregatio respondet, teneri curatos in casu proposito assurgere et ita juxta solitum servari mandavit. Die 24. Maii 1636.

(Anal. J. P. 1863 p. 265.)

## 22) Modus thurif. in choro extra stallum stantes.

Omnes in choro incensandi, stantes extra stallum se mutuo invitare debent modesta capitis inclinatione ad thurificationem prius recipiendam, ita ut quilibet alium sibi immediate subsequentem sic reverenter praemoneat. *Caeremon. Episcop.* lib. 1. cap. 23., *Gavant.* tom. 1. part. 2. tit. 7. rub. 10. lit. C., *Merati*, ibid. n. 71., *Bissus* lit. I. n. 18. §. 3., *Caeremon. Ord. Minor.* part. 3. cap. 2. part. 4. c. 6. et 7., *Bongiovanni* lib. 1. c. 11. et lib. 9. c. 2. et alii.

## 23) Mulieris.

Vd.: *Mulier.; Thurif. imperatoris etc.; Incens. mulieris.*

Mulieribus non datur thus et pax inter Missarum solemnias: S. Congr. Rit. in Pacen. 28. Januarii 1612 et in Lucerna 3. Junii 1617. Et an aliquando debeat dari remittitur arbitrio Episcopi: Eadem S. Congr. in d. Pacen. 28. Januarii 1612 apud *Barbos.* in summ. ap. decis. verb.: *Mulier* n. 5. et verb.: *Pax* n. 8. Non debere autem dari, nisi Reginis et magnis Principissis, non obstante consuetudine contraria, decrevit eadem Congr. in Larinen. 6. Decembris 1702 apud *Monacell.* suppl. ad 3. tom. num. 4.

## 24) Ordo.

Vd.: *Thurif. Canonicorum etc.*

Facta de more a celebrante incen-

satione altaris Diaconus incensat ipsum *Celebrantem* triplici ductu. Si autem in Presbyterio adsit *Episcopus* Dioecesanus, Diaconus ipsum incensabit triplici ductu et celebrantem duplici. Et si adsit Legatus vel alii Cardinales, ipsi triplici ductu et Episcopus ac Celebrans duplici thurificantur. *Caeremon. Episcop.* lib. 1. cap. 23., *Caeremon. Ordinis Minor.* par. 3. cap. 2., *Bongiovanni* in silva sacrar. *Caeremoniar.* lib. 3. cap. 11. et lib. 9. cap. 2., *Merati* tom. 1. part. 2. tit. 7. num. 73. post *Gavant.* ibid. lit. C. et alii passim. Et si adsint Episcopi exteri vel alii Praelati, honoris gratia thurificantur immediate post Celebrantem triplici ductu, sicuti et triplici ductu incensabitur ipse Celebrans; *Caeremon. Ord. Min.* l. cit., *Merati* loc. cit., *Bongiovanni* loc. cit. et alii. Quod tamen intelligendum est in absentia supradictorum Digniorum. Cum Diaconus accesserit ad incensandum chorum, si ibi existat aliquis ex praedictis, incensabit modo dicto. Et si nullus dignior ibi existat et adsit P. Generalis, thurificabit eum triplici ductu. At sic etiam si absente generali adsit provincialis et ita absentibus generali et provinciali Praelatus localis, qui, sive alius Praelatus, praesente Praesule majori, duplici tantum ductu thurificabitur: *Caeremon. Ord. Minor.* part. 3. cap. 2., *Bongiovanni* lib. 3. cap. 11. et alii. Incensato Praelato, Diaconus incensabit Cantores paratos duplici ductu deinde incensabit Patres singillatim in prima et secunda parte chori duplici ductu, sicuti ex supra allatis decretis singillatim sunt duplici ductu incensandi omnes Canonici; alios autem Fratres unico tantum ductu incensabit.

## 25) SS. Papae.

Qui thurificat, semper stare debet; solus Summus Pontifex a genuflexo incensatur.